tum egemus Evangelio Ebraico, qvod Münsterus edidit, nec illo etiam, qvod nuper edi curavit Joannes Tilius, in qvo multa desunt, multa supervacanea sunt, non pauca etiam immutata cernuntur, & DEUS novit, utrum id factum sit ad detrahendam fidem Græcæ & Latinæ editioni, astutia videlicet Judæorum, ex qvorum promptuariis Evangelium illud prodiit. *Verus Matthæi textus hebræus non extat. Is, quem edidit Münsterus, & alter quem Johannes Tilius excudi curavit, suppositicii censentur & Judæorum officinam redolent inquit Jesuita Bailius Catech contr tract I quæst 14.* Conf. Autores pro nobis D. Waltherus *offic Bibl p. 72* D Kromayerus *Polymath. Theol p III* Casaubonus *Exercit XV. Contra Baron p 343* Dn. D Calovius *Tom 1. Syst. theol. quæst 31. p 736 seqq Critico S. edit. novis p. 205* D Hülsemannus *Animadvers in Bellarm Tom I Controv p 79 seq.* Dn D Quensted *Diss in aug de Authentia Textus Hebræi V ac Græci N. T observ. 2 pag 430* Cl Stolbergius *Colleg. in Matth. MSS & quidem Prolegom. de lingua Evangelistarum originali*, Dn D. Pfeifferus *Introduct. in orient pag. 16. seq.*

QUÆSTIO II.

Quænam Lingua Salvatori nostro fuerit Vernacula?

Pontificii, sigillatim Bellarminus & Maldonatus hic etiã contendunt, Christum Syriacè locutum fuisse, proindeq; una voce ܟܐܦܐ & Petram & Petrum significâsse. Adeoque ex græco N. T. textu neminem hodie certum esse posse, num Christus Masc. ܟܐܦܐ ad vocem Petri, & fœmininum ܟܐܦܬܐ ad Petram retulerit. Resp. 1. *κατ' ἄνθρωπον* verbis *Bellarmini lib. I. de Eucharista c. II. verba Syriaca rectius dici exposita ab eo, qui Matthæum græcè confecit.* At græcus textus distinguit personam Petri à Petra. Consentit cum Græco Vulgata Latina, Pontificiis authentica. 2 *κ' πρᾶγμα* Græcus N. T. textus etiam in Matthæo est authenticus, igitur obortâ controversiâ, ad fontes est recurrendum, consentiente etiam Bellarmino. 3. Syriaca versio, quæ hodie prostat, accuratè discernit inter ܗܢܘ ܟܐܦܐ ille Petrus & ܗܕܐ ܟܐܦܬܐ hæc petra. Nullum igitur Præsi-

dium